





1. Antonii s. Pauli / diss. de Libertate  
Christiania Halle 1706.
2. Baumgarthen s. Sijim. Jar. / diss. de  
Christo Homine Obligatione Legum  
Divinarum antecedente et externa  
solito Halle 1742.
3. ————— diss. de Officiorum S. Scripturae  
naturali et Supernaturali, Halle  
1742.
4. ————— diss. de Vocazione Dei ad  
Salutem, Halle 1742.
5. ————— Examen Miraculi Legionis  
fulminantis, Halle 1740
6. ————— diss. Vindicias textur Graeci N. T.  
contra Joh. Staudium exhibentem, Halle  
1742.
7. ————— diss. de imputacione peccati Adami,  
tali posteriori facta, Halle 1742.

DISPUTATIO THEOLOGICA,  
DE  
**PODOLATRIA**  
**PAPEA,**  
SIVE  
**OSCULO PEDUM PONTI-**  
**FICIS ROMANI,**

Quod ipse ex stricto jure Divino & Huma-  
no ab omnibus Christianis & summis  
Christiani orbis Monarchis  
exigit,

*DIVINA ASSISTENTE GRATIA*  
CONSENTIENTE VENERANDA FACULTATE  
THEOLOGICA,  
SUB PRÆSIDIO  
**BERNHARDI von SANDEN,**

SS. Theol Doct. Prof. Prim. Concion. Aul. Prim.  
Consist. Sambiensis Consiliarii,  
*ad defendendum suscepta*

à  
**JOHANNE HENRICO KREUSCHNER,**  
Ad Diem i. Septembr. Anno MDCCX . H Lq. S.  
REGIOMONTI, TYP.S REUSNER ANIS.



DE  
PATERIAE  
PATRONIS  
ET  
AMICIS.

JOHANNES HERIGO KREUZNICER  
MAGISTER ET PROFESSOR ANTIQUITATUM  
AC HISTORIÆ ET POLYGRAPHIAE  
ACAD. BEROL. ET IMP. VENET. 1714.

I. N. J.

S. I.

**O**sculi, quâ vel amorem vel reverentiam vel subjectionem erga se invicem, ex antiqua consuetudine, declararunt homines etiam benè morati, varium fuisse olim, & ex parte hodienum, esse usum; Viri eruditî & clarissimi interque eos Georg Rittershusius edita de osculis Diff. històrico-philologica jucunda, ut eam invocat, Francof. ad Viadrum Anno 1621. in 12mo, recusa ib. in 4to A. 1689. Jacob Heerenschmidt de Osculologia Patriarcharum, Prophetarum, Imperatorum Wittebergæ edita A. 1630. & prolixo tractatu Mart. Kempius, quem post geminam de hac materia dissertationem Jenæ editam XXV. auxit dissertationibus, & titulo operis polyhistorici ornatum hic Regiomonti edidit A. 1677. Francofurti recusum A. 1680. ut alios taceam, exposuerunt. Abusum verò osculorum quandoque turpissimum utin aliis, ita maximè in deosculatione pedum Romani Pontificis tantum non omnes, exceptis solis Papæ adulatoribus, virgula censoria merito notarunt, qui fastum hunc intolerabilem & abominabilem Romani Præsulis agnathonibus Romanis non solum excusari, sed & defendi ex Scriptura & Antiquitate sacra, animadverterunt. Quò ergo specimen hoc sive manifestum indicium insolentia Papalis magis pateat, placet de hoc osculo pedum Pontificis Romani aliqua hic commentari, officiumque illud, quod sibi deberi putat à quolibet mortalium etiam in summa dignitate a Deo in his terris locatorum, neque ad humilitatem à summo Ecclesia Monarcha CHRISTO suis Ministris, commendatam, neque ad modestiam primorum Ecclesiæ ministrorum & Apostolicorum virorum sive Episcoporum quadrare, sed tyrannicum & irreligiosum prorsus esse, hac dissertatione per stricturas breves declarare.

S. II.

Hoc officium magni semper fecerunt Hieromonarchæ illi, adeò, ut inter dictatus Gregorii VII. sive Hildebrandi, in quo autoritas sive potius tyrannis pontificia ad anum pervenit, in Concilio

A

lio

lio Romano A. C. 1076. inter Canones fuerit relatum : Quod solius Papæ pedes omnes principes deosculentur , cuius Canonis meminit Baronius in Annalibus ad hunc annum §. 32. & alii passim. In Cerem. Rom. L. 3. Sect. 1. canone quodam, quem laudatus Kempius Diff. X §. 1. adducit: omnes homines, cujuscunque sint dignitatis ac præminentia, jibentur, ut primum in conspectum Papæ veniunt, distantibus spatiis ter ante illum genua flectere, ejusque pedes osculari. Ibidem idem requiritur ab Imperatore Romano, ita etiam, ut post osculapedis & manus eidem aliquantulum asfurgat, atque osculo mutuo charitatisq; amplexu eundem recipiat Pontifex. Libro sacrarum ceremoniarum L. 1. Sect. 5. c. 3. ex citatione Petri Molinæ de Monarchiâ Papali c. XXV. p. m. 334. & in Hyperaspiste adversus calumnias Sylv. Petra Sancta Jesuite c. XXIII. p. m. 168. hæc habentur: Cæsar iterum cum appropinquat, ad gradus sedis genu flectit, demum ad Pontificis pedes peruenit, illos in reverentiam salvatoris devote osculatur. Nec Imperatrix civilius excipitur, additur enim; Pontifex recipit Imperatricem ad osculum pedis. H. I. Evidem observant quidam tum ex Ceremoniali Romano tum ex Descriptionibus Coronationis Pontificie, Papam in osculando distinctionem facere personarum, ita ut solus Imperator os Papæ osculetur, manum Cardinales, genu Episcopi, pedes gregarii & vulgares. Verum differentiam istam raro attendi & Regum potentissimos neutiquam ab osculo pedum exemptos fuisse laudatus Kempius variis exemplis ostendit ibidem §. I. & IV. Inter alia portentosa superbia exempla & quibus paria nullæ ab omni ævo historiæ suppeditant, est illud Friderici Barbarossa dicti, qui ut filium Ottонem à classe Veneta à partibus Papæ stante captum liberaret, Venetias ad Papam venit Alexandrum III. ad pedis osculum vero admissus super gradibus templi S. Marci, hanc expertus est ferocientem Papæ inflaniam, ut sibi provoluto ad pedes superbissimus Pater cervicem pede feriret abutendo Scriptura Ps. XCII. 13. Super aspidem & basiliscum ambulabis & conculcabis leonem & draconem. Cumque Imperator indignè sic exceptus, se hanc subjectionem non Papæ sed Petro exhibere protestaretur, dicendo: Non tibi sed Petro scilicet hæc dicta sunt; reges sit superbè: & mihi & Petro, Gesta hæc sunt Venetiis A. C. 1177. & referuntur à Bessarione, quem citat Baronius, Joh. Stella S. Veneto libro de yitis Pontificum,

cum, maximè ab Hieronymo Bardi Florentino, qui de rebus Venetis scripsit Commentarios, (quibus subjungit explanationem historiarum, quæ picta sunt in tabulis, quibus atria scrutinii & Magni Consilii Venetæ urbis sunt ornata) !Sicut & hæc historia omnium, qui atrium hoc, quod Consilium magnum dicitur, oculis hodiernum sistitur, depicta à Frid. Zuccarò F. An. Salv. c<sup>o</sup> I<sup>o</sup> LXXII Perfect. An. cl<sup>o</sup> l*cliii*: ut habet artificis subscriptio (post veterem inscriptionem ab A. 1228.) Hic Papa stans, brachisque à Venetorum Duce & Cardinali quodam suffultis, pede sinistro cervicem Imperatoris gradibus solii Pontificii incumbentis & sanctitatem summi Episcopi venerantis comprimit in eumque superbos oculos defigit, magna hominum multitudine sacram tragœdiam attonitè spectante. Imò monstratur ipse locus, ubi hoc factum, scilicet lapis exiguus soleam pedis vix superans operis tessellati & varii coloris: Quasi servilis hæc exceptio Imperatoris tanti in hoc suo palatio maximè ad ejus dignitatem faciat. Pudet quidem hujus facti Baronium, qui id negat ad A. 1178. sicut & alii & inter eos Celeberr. Conringius de finibus Imperii Germanici L. 1. c. 2. §. 4. de ejus veritate dubitarunt. Verum B. D. Wagenseil Disp. de Imper. qui post Francios &c. p. 17. hæc revera acta fuisse prolixe defendit. Ita hodie num Romæ in Vaticano pictura habetur, in qua Carolus V. gloriissimus Rom. Imperator (etiam si id ipsum fortè nunquam factum) Paulo Pontifici pedes osculatur, cum hac subscriptione:

E Lybia advenit Romanas victor ad arcis  
Cæsar in niveis aureus ivit aquis,  
Ille triumphavit; sed tu, plus, Paule, triumphas  
Victor namque tuis oscula fert pedibus.

Ex quibus exemplis patet, non esse verba honoris, quibus sua servitia etiam homines de vulgo in Italia & Gallia sibi offerunt, dum hi dicunt: Je vous baise les mains; illi: Io baccio le mani à vos Signoria, qualia fortè illa sunt, quæ in literis Principum ad Papam missis oscula manuum & pedum offerunt, quomodo Ludovicus Bayarus imò Carolus V. scripsisse legitur. Vid. Kempius l. c. S. 33. sed recipsa hunc honorem sibi in adoratione hac deferendum esse omnino velle Papam. Quin cō processit vesana hæc ambitio Papalis, ut non so-

4

lum deosculacionem pedum statim post electionem factam in sella posita ante altare & Pontificalibus vestibus indutus accipiat à Cardinalibus, quibus tamen in benevolentia signum & manus & genas osculandas præbet, & mox in Vaticanum deportatus, & aræ maximæ impositus iterum eorundem adorationem, quam à Clero itidem in coronatione pedis complexu & deosculacione recipit. Vid. B. D. Wagenseilium in Analectis de Ritibus Eccl. Rom. Tom. V. Peræ Literar. p. 1105. & seqv. Item D. Laur. Banck, Prof. Franeck. in Tract. quem Romanum Triumphantem inscriptis edit. A. 1645. c. 10. p 167. Quod officium inde toties, quoad vivit, in audiencis & solennitatibus repetitur. Sed & post mortem hoc sibi Religionis officium praestari volunt Pontifices. Sic enim Laur. Banck cit. de Roma triumph tract. testis est, Urbani VII. demortui corpus per quatriduum in Basilicâ Apostolica expositum fuisse, ut unicuique illud invisere & pedes expositi cadaveris deosculari concessum esset. Sic & Sixti V. corpus in facello Gregoriano ita repositum fuisse scribitur in Conclavi (sic vocatur descriptio electionis Papa in conclavi factæ) super electione Urbani VII. ut pedes extra cancellos ferreos prominenter, & à populo, qui spectatum accedebat, osculum illis figi posset. Quod quandoque cum tanto fieri ardore, ut infigendo oscula simul particulas panni à sandaliis Papæ dentibus abscessas, tanquam sanctas reliquias, secum rapiant superstitionis, ut scipiis novis sandaliis pedem munire sit opus, referunt, qui hanc superstitionem oculis suis lustrarunt. Vid. quoque laudatus Wagenseilius l. c. p. 1081.

### §. III.

Hanc ergo in Pontifice Romano, qui in humilitate prælucere debebat aliis, turpissimam arrogantium merito reprehendimus & averfamur. Non enim congruit illa (I.) cum exemplo Christi, ad quod quam maximè se componere debebat Papa, quia Ejus vicarium se venditat Nam ubi legitur, quod Christus suos Apostolos & fideles, cum quibus conversatus est in his terris, invitaverit vel admitterit ad deosculandum pedes? Si dicant mulierem peccatricem tamen lacrymis rigasse pedes Christi iisque oscula fixisse, Luc. V!. 38. Sanctas mulieres, Christum à mortuis excitatum videntes, tenuisse ejus pedes,

5

des. Matth. XXVIII. 9. omnesque Discipulos eundem adorasse in monte oliveti cum ascensurus esset. Mat. XXVIII. 17. Luc. XXIV. 52. & procul dubio in hac adoratione deosculatos fuisse pedes Christi. Hæc utiq; huc non quadrant, quia quod attinet posteriorem Venerationem Christi, nihil de osculatione pedum hic legimus, nec illam permittam fuisse à Christo, probabilius inde existit, quia Mariam Magdalena ab attacku sui prohibuit. Joh. XX. 17. Peccatrix vero illa, cuius de osculationem pedum suorum laudavit Salvator, in seria quidem pœnitentia cordis, non vero in religiosa hâc de osculatione ad imitandum proponitur. *Uit lachrymæ satisfactionis sunt documenta, ita oscula reconciliationis indicia,* inquit Petrus Chrysologus. Ipse potius Salvator ad pedes suorum Apostolorum se demississe legitur, & in lotione pedum eorum exemplum humilitatis dedisse. Joh. XIII. 13. 14. 15. Nec enim major disparitas Papæ & Christi ex ulla re quam ex hac ποδονυμίᾳ appetat. Cur enim Papa non potius exemplum Christi lavantis pedes Apostolis suis imitatur, sed suos pedes non discipulis & inferioribus solum, sed & ipsis Principibus, Imperatoribus lambendos & lingendos in osculis porrigit? Cur non imitatur exemplum Petri, cuius se successorem jactitat, qui ad hunc honorem obstupefiebat, eumque cum maxima contestatione deprecari malebat. Cur legem tulit, qua Principes tenentur pedes ejusdem vel potius crepidas lingere? *Hæc, quisquis perpendit,* inquit Petrus Molinæus in Hyperaspiste p. 174. *comperiet, ex mente Papicolarum in isto pedum osculo Papam sustinere Petri, osculantes vero Papæ pedes sustinere Christi personam ejusque exemplum imitari, ac proinde Papam aliquo modo Christum ad suos pedes abhincere.* Equidem & ipse Papa quandoque die Viridium à sella Pontificali surgens ad pedes pauperum peregrinorum se demittit, ad exemplum Christi pedes loturus; pedes tamen non osculatur, imo ne lavat quidem sed pauxillo aquæ rosaceæ dextrum aspergit pedem, iisque nummo aureo & argenteo donatis, ad mensam lautissimis epulis instructam ministrat, ceu refert ex dutovia D. Joh. Fabricius in Amoenitatibus Histor. Orat. de utilitate Itineris Italiae p. m. 596. ubi ejusmodi nummum cum imagine & nomine Clementis X. Pontif. Max. ab una facie, ab altera vero Christi in pedum lotione, cum subscriptione: Exemplum dedi vobis, depictum exhibet. Sed in ipso humilitatis hoc exemplo, quod sibi



imitandum sumpit Papa, typus arrogantiae & superbiae satis perspicitur, quodque magis amet suorum quam aliorum pedum deosculacionem, quam quotidie admittit.

#### §. IV.

Sicut ergo Papa in hisce ab humilitate Christi longè abest, & non dum dedit illud, quod suis discipulis inculcavit Christus Matth. XI. 29. *Discite à me, quia mīles & humiliis cordē;* Ita nec (II.) Apostolorum vel ipsius Petri humilem gerit spiritum. Certe ipse Petrus, quem primum Papam faciunt, & cujus successores in sede Apostolica & Episcopali se esse volunt, ne adorationem quidem civilem & humanam ad suos pedes à Cornelio Centurione factam admittere voluit: Negavit sibi debere illam adorationem, licet non esset divina, *quia,* inquit, *& ego homo sum.* Act. X. 26. Sie prostrationem ad suos pedes declinavit Petrus, Corneliumque de terra surgere jussit; quid dicturus fuisset, si osculari pedes suos is presumpsisset? Sicut & Angelus Johannem prohibuit, ne ipsum adoraret. *Nefacias, dicit, conservatus sum, DEum adora.* Apoc. XIX. 10. Ea erat modestia Angeli, ut ne quidem civilem cultum ex hac ratione, quod Apostoli esset conservus, admittere voluerit. Quae ergo est immodestia Papæ, nautio plus in osculo pedum admittentis & exigentis? Offerebant Apostoli oscula pacis suis Auditoribus, & ad deosculandum se in conventibus sacris osculo charitativo hortabantur. Paulus valdicens suis Ephesios accipiebat ab iisdem osculum: *Procumbentes enim super collum Pauli osculabantur cum.* Act. XX. 37. *Salutate invicem osculo sancto,* scribit 1. ad Corinth. XVI. 20. 2. ad Corinth. XIII. 12. & ad Thessal. 1. Ep. V. 26. nec non Petrus 1. Ep. V. 14. Unde in primitiva ecclesia Christiani finitis precibus, ante eucharistiae administrationem, osculo mutuo tanquam pacis & fraternitatis signo se salutabant, *ut ostenderent labia, quod siebat in conscientia, felices quod Corda cordibus conglutinatae essent sicut labia labitis,* ut loquitur Augustinus Serm. I. Vigil. Paschæ. Ita enim habent Constitutiones Apostolicæ L. VIII. c. 11. *Post orationem pro fidelibus Diaconus dicebat: Ασπάσαθε ἀλλήλας Φιλήσατε ὄχι.* *Salutate vos invicem osculo sancto:* *Ε osculentur Clerici Episcopum, viri laici viros, mulier-*

res

*res se invicem.* Hujus osculi meminit Justinus Martyr Apol. II. pro Christ. p. m. 76. Tertullianus de oratione c. XIV. Tom. I. Operum, p. m. 183. Clemens Alexandrinus Pædag. L. III. c. XI. p. m. 257. Cyrius Hierosolymitanus Catech. myst. V. p. m. 239. 240. Origenes L. X. in Ep. ad Rom. Hieronymus in Cant. hom. I. p. 52. C. Chrysostomus de compunctione cordis L. I. Ex professo Justinus Martyr citato loco totum cultum sacrum describit, & quæ in ea Præsidis & fidelium fuerint officia & partes, nec tamen meminit osculi alicujus dati Præsidi Sacrorum, nedum provolutionis ejusmodi fidelium ad osculandos pedes Episcopi, quem Προσθῆτα Præsidem vocat, cum tamen maximè opportunum esset, tale quid addere, nisi à simplicitate Apostolica id prorsus alienum fuisset. Nec in aliis scriptis Patrum primorum seculorum, in quibus ritus & ceremoniæ externæ & reverentia quoque ecclesiæ ministris debita describuntur, ejus rei aut vola exstat aut vestigium. Quare (III) hæc pedum deosculatio P. R. sit contra praxin antiquioris, purioris & sanctioris Ecclesiæ.

s. V.

Quanquam verò sequentibus seculis hunc honorem Sacerdotibus Christi non solum à gregariis hominibus sed & à Principibus ac Imperatoribus delatum fuisse ex singulari pietate & amore legamus, ut eorundem manus sacra peragentes oscularentur. Sic enim Ambrosius de Dign. Sacerd. cap. 2. inquit: *Videas Regum colla & Principum submitti & exosculatis eorum dextris, orationibus eorum se communiri credunt.* Et ejusmodi manus osculum Ambrosium admisisse testatur Paulinus Presbyter in vita Ambrosii p. 2. & 3, S. Meletii Archi-Episcopi ingressum Antiochiae sic describit Chrysostomus Hom. XLV. Tom. I. Operum in V. T. col. 523. *Quando ad vos veniebat & universa civitas ei obviam profferat, alii quidem propè accedebant, & pedes prebensabant, & manus osculabantur.* Plura exempla de hisce vid. apud Sidonium Apollinarem L. VIII. Ep. XI. p. 526. & Savaronis Not. ad h. l. p. 532. Attamen illa, eti honorem maximum Episcopis tum temporis exhibitum fuisse, testentur, non tamen pedum oscula Episcopo Romano soli oblata aut isto tempore fuisse usitata declarant. Honorem illum non uni sed omnibus promiscuè Episcopis dela-

delatum ostendunt, quem sibi soli deberi Papa hodie prætendit. Procedebant illæ deosculations ex voluntate & affectu pio, non ex debito nedium lege & constitutione Christi aut Apostolicâ. Sed & quam insolita fuerit ejusmodi prostratio ad pedes Episcopi, extra poenitentiam publicam, adhuc Gregorii Magni tempore, vel inde patet, quod ipse Monacho, sibi hujusmodi reverentiam exhibituro primus se inclinaverit, nec ante surrexerit quam ipse prius surgeret. Verba Joh. Diaconi, qui vitam ejus descripsit, haec sunt; *Enarravit nobis Abbas Johannes Persa, Sanctus & Reverendus Vir existens, de Magno Gregorio, Beatisimo Papa Romano (Prati spiritual. c. 15.) Quoniam ivi Romam ad adorandum loculos Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli: & una dierum cum starem in medio civitatis video Papam Gregorium per me transiturum & cogitavi me mittere ante eum. Cum ergo mibi appropinquasset Papa, videns, quia pergerem, ut mitterem me ante eum sicut coram DEo, primus misit se ante me super terram, & non ante surrexit, quam ego prior surgerem.* Et amplexatus me cum magna humilitate, tribuit mihi per manus numismata tria & jussit mihi dari casulam & necessitatis meas omnes. Glorificavi ergo DEum, qui dedit ei talem humilitatem circa omnes & eleemosynam & charitatem. H. I. L. IV. Vit. Gregorii Papæ cap. LXXXI. ante Oper. Gregor. Tom. I. p. m. 109. & 110. Fabulae ergo sunt Sylvestri de Petra sancta, quæ ipse de Philippo I. Imperatore quasi ipse se ante Fabiani Papæ, qui sedidit Romæ A. C. 250. pedes prostraverit, prodit. Neque enim Nicephorus, ad quem provocat L. V. 25. p. 374. neque Eusebius L. VI. H. E. c. 34. p. 202. hujus prostrationis ad pedes Papæ ullam faciunt mentionem. Ille solum ex incerta fama primum Philippum ad fidem Christianam accessisse & antequam admitteretur, in penitentium numero fuisse habitum memorat. Hic vero ex eadem fama, hunc Imperatorem dicit precatiōnū in ecclesia participem fieri voluisse, non verò prius ab Episcopo, qui tunc Ecclesiæ præfecit, admissum esse, antequam confessionem scelerum fecisset, & penitentiariorum se adjunxisset ordini; Sed & Philippum Imperatorem unquam Christianum fuisse merito dubitatur. Vid. Celeb. D. Kortholt Dissert. Histor. de Philippi Arabis, Mammæ, Plinii Jun. & Senecæ Christianismo.

Neque

Nec non quæ de Constantino M. extra controversiam prima Chri-  
stiano & pio Imperatore Petra Sancta & ali comminiscuntur, quasi  
ipse peditus tanquam famulus per habens eqvum Sylvestri Papæ usq[ue]  
ad palatium Lateranense duxerit. Ubi enim tale quid Eusebius, qui  
vitam Constantini M. scripsit, unquam dixit? Vel ex quâ legenda hæc  
hauserunt? Certe ex eadem, ex qua Donationem Constantini M.  
& fictam narrationem de Constantino baptizato à Sylvestro, quem Hi-  
storix & Veteres unanimi consensu in suburiis Nicomedia ab Euse-  
bio Nicomediensi fuisse baptizatum, & accepto baptismō mox exspira-  
rasset tradunt, depromperunt. Dn. M. Kempius quidem primum fortasse  
dicit exemplum adorationis Papæ ab Imperatore factæ occurrere in Ju-  
stino I. Imperatore, qui Johanni I. A. 526. Pontificatum tenenti &  
Constantinopolin venienti extra urbem obviam processerit, eumque  
pronus in terram adorārit, iuxta Anastasium. Cujus exemplum poitea  
secutus fuerit Justinianus Imperator, qui sic Constantimum Pontificem  
ad se vocatum Nicomedia A. 710. sit veneratus. Sed quis hæc me-  
moriae prodidit? Bibliothecarius Papæ Adriani & ejusdem adulator,  
qui in gratiam Domini sui libro suo de vitiis Pontificum multa cumu-  
lavit mendacia, scribens A. C. 860. cum Papa de exultanda sua sede &  
dignitate consilia animo volveret. Nihil de hac adoratione minimè  
osculatione aliquâ pedum habetur apud Græcos Historicos, Cedrenum  
& Zonaram, qui sanè hæc exempla non prætermisissent. Quin Caroli  
M. tempore oscula pedum Pontifici Romano ab Imperatoribus non-  
dum exhibita fuisse, testantur historiæ. Tantum enim abfuit glorio-  
fissimus hic Imperator ab hoc servitio Papæ præstanto, ut potius Caro-  
lus, cui non Papa, Leo, sed populus Romanus, cuius Leo in coronationis  
ceremoniâ minister fuit, teste Sigeberto ad A. C. 801. Mariano Scoto  
L. III. Chronic. Platina in Leone III. p. 99. Onuphrio Panvinio L.  
II. de Rom. principibus p. 169. titulum Imperatoris dedit, à Leo-  
ne Pontifice fuerit adoratus. Post hos sc. Coronationis ritus ab eodem  
Pontifice ut cæteri veterum Principum more majorum adoratus est Carolus  
M. subsequentibus aliis, scribit Aventinus Annal. Bojorum L. 3. Cui  
concinuit Ado Scriptor huic ævo proximus; Nec non Fauchetius Præ-  
ses in vita Caroli M. A. 801. c. 10. P. Petavius in tract. de Epochâ In-  
carn: Domini, Chronicon Eusebii cit. à Petro Molinæo in Hypera-  
spite

spiste c. XXV. p. m. 190. Baronius quidem ad A. C. 773. §. 3. ex Anastasio refert, Carolum M. postquam Desiderium prælio fusum Regno exuerat, Romanum venientem gradus singulos Ecclesiæ B. Petri osculatum esse. Eundem vero osculatum esse pedes Papæ nec Baronius nec Anastasius dicit, nec Annales Francici, qui historiam Caroli M. accuratissime describunt. Sed hæc primò Spondanus novus & subtilis autor de suo & sui seculi moribus addidit, quod antequam pedes Papæ deoscularetur Carolus, osculum impresserit gradibus istius atrii, in quo Sedes Papæ spectatur. Imo A. C. 1071. adhuc ignota erat plerisque illa Deosculatio Pedum Papalium. Cum enim Alexander II. Papa Lanfrancum Cantuariensem Episcopum ad se venientem juberer se prosternere ad suos pedes in signum submissionis, ut ex Malmesburiensi refert Baronius ad hunc Annum §. 6. renuit hoc ipsum, tanquam insolitum. An jussus fuerit Lanfrancus osculari pedes Papæ, Malmesburiensis non dicit, sed ait Papam dixisse Lanfranco, illum debere facere, quod est justitiæ, ut pro more omnium Episcoporum Sancti Petri Vicarii vestigiis advolveretur. Ex quo mandato duo colligit P. Molinæus l. c. cap. XXI p. m. 195. Lanfrancum id ignorasse & exhibuisse hunc honorem Papæ ipso Papa exigente. Et inde Papam dixisse id deberi sibi ab Archi-Episcopis, non vero à Regibus aut Imperatoribus aut à populo.

### §. VI.

Sicut ergo hæc deosculatio pedum Pontificis Romani nova & per mille annos in ecclesia Christi ab ejus incunabulis inaudita fuit; Ita potius (IV) ex Idololatrico & superstitioso Deastrorum Gentilium cultu, originem trahit, quod non diffitet Polydorus Vergilius de rerum Inventoribus L. IV. c. 13. p. m. 378. & hoc non sine culpanda & damnanda. Sic quando Romani & alii Gentiles venerabundi numina sua accedebant, primo & simplicissimo ritu eorum ora ore suo libabant, ut Cicero in Verrem L. V. indigitat, id tamen rarius factum nota Lipsius in Electis L. II. c. 6. p. 634. Postea submissius erga Deos se gerere existimarunt, si euan ad dextram Numinis crinibus porrecta sua manū, primorem digitum in erectum pollicem residentem reverenter ad ora, refer-

referrent & svariarentur, capite submisso & corpore dextram versus acto. Vid. Muretus Var. lect. L. X. c. 1. Quanquam Salinarius potius velit superstitiones illos veneratores suorum Deastrorum minime ausos fuisse manum suam iisdem porrigerere, & inde ad os suum referre, sed potius eminus stantes manum suam reverenter ori admovisse & sic supplicasse. Vid. M. Kempius lib. cit. Diff. III. §. 6. p. 240. Ritus ille adoratio dicebatur, quia manum ad os movebant, sicut &  $\pi\zeta\sigma\kappa\iota\eta\tau\sigma$ , rectius à κύω vel κύων oscular, quam à κύων canis, qui Dominis suis adulari solet, Eruditi deducunt; dicebatur etiam salutatio. Talem adorationem quidam intelligunt in illis Jobi verbis, cum ait: *Si vidi solem cum fulgeret & Lunam incedentem clare & osculatus sum manum meam ore meo.* Job. XXXI. 26. 27. Quanquam haec verba Jobi cum B. Lutherio & aliis non incommodè ad inancem felicitatis lætitiam operamque proprietorum iactationem possint referri. Vid. Disput. B. M. Stürmeri super h. l. hic Regiomont. Anno 1698. sub Præsidio Excell. Ebr. lingvæ Prof. Wegeri habita. Nec non cum alias in Scriptura adoracionis Baal vel alius idolis exhibitate fit mentio, ut Lipsius monuit ex veteri Interpretate 1. Reg. XIX. 18. sic vertente: Quorum genua non sunt incurvata ante Baal, & omne os, quod non adoravit eum, osculans manum. Hujus ritus frequens apud Plinium, Minutium Felicem, Apulejum, Tacitum, Svetonium, Martialem aliasque melioris notæ scriptores fit mentio. Inde in sua superstitione progressum facientes Portas urbium, limina, Postes, aras templorum & in iis constituta simulachra nec non arbores, flores & lapides Diis sacratos tali salutatio- nis vel adoracionis ritu prosequebantur, ut Turnebus L. XII. advers. c. 5. p. 382. & L. XXV. c. 1. p. m. 922. ostendit, innuitque Tibullus lib. 1. Eleg. 2. his verbis:

*Non ego, si merui, dubitem procumbere templis  
Et dare sacratis oscula liminibus.*

Tandem ad pedum vel vestigiorum oscula pervenit priscorum in Deos suos superstitione, teste Apulejo L. XI. Metamorph. *Ex osculatis vestigiis Deo, que gradibus habebat argento formata, ad suos discendunt lares, & Prudentio in Apoteosi v. 523. & seqq.*

B 2

Augu-

*Augustum caput ante pedes curvare Minervam  
Fidilius, & soleas Junonis lambere, plantis  
Herculis advolvi, genua incurvare Diana.*

Quem ritum apud Tartaros & Indos hodiernum observari, ex Erasmo Francisci & Petro della Valle annotavit M. Kempius Diss. VII. ubi de hisce osculis gentilium Idololatricis fusius agit. Sed & ad ipsos Ministros idololatriæ gentilis & sacerdotes hæc deosculatio fuit extensa. Nam ne quid de aliis gentilibus dicam, Romanos Pontifices, qui in templis propè Januam lecticam ad hoc præparatam habuerunt, etiam in pedibus oscula, reverentia signa, exceperisse ex Plutarcho tradit Polyd. Vergilius L. IV. de Rerū Invent. c. 13. p. 378. Nec minus (V.) Podolatria Papalis originem suam debet ambitioni turpissima Principum fastuosissimorum apud Romanos. Postquam enim æmula esse cœpit divinitatis Principum ambitio, Deorum cultus & sibi deberi existimarunt. Primus fere omnium fuit Caius Caligula, qui aperte rem tentavit. Nam ille, cum prius salutarentur Cælares aperto capite, more Deorum proprio cooperito adorari & pedem sinistrum osculo voluit excipi. Vid. hac de re Dio Cassius Hist. Rom. L. LIX. p. 760. B. Seneca L. II. de Beneficiis c. 12. tom. 1. Oper. p. m. 626. Orosius L. VII. c. 5. Vitellio miri in adulando ingenii hoc tribuit Suetonius, quod ipse C. Cæsarem adorari, ut Deum instituerit, & ut Claudium uxoriibus libertisque addictum sibi demereretur, pro maximo munere à Messalina petiit, ut sibi pedes præberet excalecandos: detracturaque soccolum inter togam tunicasque gestavit assidue nonnunquam osculabundus, in vita Vitellii. c. 2. n. 10. seqq. tom. 2. Oper. p. m. 407. Diocletianus pariter hostis capitalis Christi & sanguinis Christiani helluo idem sibi fieri voluit. Ornavit enim calcos propereagen. mis. teste Eusebio in Chronicō, p. 178. ut oscula pedum essent pretiosiora; & peculiari Edicto hoc sancivit, ut omnes sine discrimine pedes ejus oscularentur. Vid. Pompon. Lætus in Compend. Hist. Rom. T. II. Script. Hist. Aug. Fol. p. 528. & Eutropius L. IX. c. ult. p. 243. Hosce ergo (ne quid jam dicamus de Orientalibus Regibus maxime Persis, qui ex barbara superbia ejusmodi adorationes admiserunt olim & hodiernum admittunt) imitatur per naxos θληστης Papa, dum pedem non hominibus de

de fæce vulgi aut nobilioribus faltem, sed Principibus quoque Regibus & Imperatoribus profano & impio more porrigit. Ex re ergo & verè P. Molinæus de Monarchia Temp. P. R. c. XXV. ostendit, quod Papa Romanus sicut ex ruderibus Imperii Romani suum exstruxit Imperium, ita & fastum & splendorem Imperatorum, maxime Ethnicorum sibi imitandum per *καρκαλίαν* proposuerit : *Papa*, inquit p. 318. *relicto pedo pastorali sumpsit 1. coronam Imperialem auro & gemmis fulgentem, quam Regnum vocant, eamque triplicatam. 2. Cumque purpurea vestis & calcei purpurei essent insigne Imperii, eandem vestem Pontifex induit, eosdem calceos, sed addita cruce aurea, que osculantibus porrigitur. 3. Habet Senatum purpuratum, Cardinales. 4. Aporhoſes, quas Canonizationes vocant. 5. Dominus Deus, ut Domitianus apud Svetonium c. 13. vult appellari. 6. Patitur se adorari ad exemplum Diocletiani apud Aurelium Victorem & Hilogabali apud Lampyridium in vita Alex. Severi. 7. Corpus Juris Canonici jussit adornari ad imitationem Corporis Juris Civilis. 8. Indictiones instituit. 9. Juramentum fidelitatis exigit. Item 10. Annatas, ad imitationem frumentum feudalium. 11. Tributa per 12. taxam Cancellaria Apostolica & 13. suos nundinatores indulgentiarum. Cogit 14. in sua lingua latina sacra celebrare. 15. Pascha & delectat oculos populi, picturis statuis, cereis, processionibus, theatris &c. 16. Vestigal exigit a meretricibus. 17. Spargit nummos. 18. Indulgentias concedit, quas Imperatores dabant ad publicam letitiam. Cod. Theod. l. 9. t. 38. l. 3. Tandem & ad pedis oculum in documentum plenaria subjectionis admittit & cogit omnes. Vid. ibidem hæc fusius diducta & explicata.*

### §. VII.

Deprehenduntur præterea (VI) hæc πόδος φιλμέτα Papalia adversari ipsi honestati & modestiæ, quam sibi invicem debent homines. Si-  
cūt enim prostratio ad pedes alterius signum est vilissimi animi vel abla-  
ta omnis dignitatis & honoris, ad quod serviti genus vilissima man-  
cipia adacta fuere, & ii, qui extremam experti sunt fortunam Vid. Esa.  
LX. 14. XLIX. 26. Ita pedum deosculatio prorsus reverentiæ civilis  
terminos exedit, & ut ait Lipsius L. 2. Elect. c. 6. p. 636, *ritus turpis,*  
B 3; *inhuma-*

*inhumanus & plus quam servilis est.* Quemadmodum enim homini Deus os sublime dedit cœlosque tueri; Ita qui oscula infima partis corporis, quæ sordibus magis est exposita quam alia aliqua pars, fit, ultra sortem humanam se deprimit. Certe Æmilius Probus indignatus est Persei Regis à se devicti servilem depressionem ad pedes. Cum enim hic in faciem concidens manibusque (saltē non ore) genua (non pedes) Æmilii tangens voces & deprecations homine ingenuo indignas proferret, ne audire quidem eundem dignatus est, tristī vultu in hæc verba compellans: *Quid, ô miser, hæc agis, quibus crimine tuarum calamitatum forunam liberas, & offendis non immergit tibi hæc accidere, teque non præsenti sed priori conditione indignum fuisse? Quid vittoria meæ laudem immunitis, demonstrans, te non alti animi virum neque dignum fuisse, quem Romani adversarium suum haberent?* Inde a terra sublevatum dextra data salutavit, teste Plutarcho in vita Æmilii tom. 1. Oper. p. 269. Unde & Dux Normannorum Rollo nullâ ratione pedes Caroli Simplicis sive Sexti Regis Gallorum osculari voluit. *Horruisse enim, dicit Kranzius Hist. Norvegiae L. II. c. 26. liberum animum Ducia invicti servile ministerium.* Alia etiam moratores gentes iustum & indecorum esse tale officium judicarunt, imo mortem potius oppetere, priusquam le ad pedum oscula adigi paterneretur, quod variis exemplis demonstrat Serarius Comm. ad Eth. cap. 3. Procul à se hoc superbia & elationis inhumanae documentum esse voluerunt summi & optimi Monarchæ Romanorum, etiam in ipsis Gentilissimi tenebris hærentes. De Maximino Seniore refert Jul. Capitolinus Hist. Augustæ tom. 2 p. 66. quod nunquam passus sit pedes sibi deosculari dic: *Dii prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat.* Plinius etiam in Trajano c. XXIV. p. 2. p. 127. laudat, quod id non fecerit: *Non tu civium amplexus ad pedes tuos depromis, nec osculum manu reddis.* Et illi, qui oscula tanquam subjectionis signum admiserunt, non tamen passi sunt, ut os ipsum applicarent pedibus, sed ut dextra vel genua vel pedes tangerent, & inde manum ad os suum referrent, ut supra diximus §. 6. Nam graviter Cajum Caligulam ob admissa pedum oscula redarguerit Seneca Lib. supra cit. 2. de Benefic. c. 12.

hæc

hæc ejus testantur verba, quæ adscribi merentur: *Qui excusant, inquit sc. Cajum, & negant id insolentia causâ factum, ajunt, socculum auratum immo aureum margaritis distinctum offendere eum vorlaiffe.* Ita prorsus: quid hic contumeliosum est, si vir consularis aurum & margaritas osculatus est, & alioquin nullam partem in corpore ejus electurus quam purius osculareetur? *Homo natus in hoc, ut mores libere Civitatis Persica servitute mutaret, parum judicavit, si senator senex summis usus honoribus in conspectu principum supplici sibi eo more jacuisse, quo visti hostes hostibus jacuere.* Invenimus, aliiquid infra genua (sc. alludens ad morem supplicantium, qui genua attingebant manu) quo libertatem detruerent. Non hoc est rem publicam calcare & quidem (dicit aliquis, nam potest ad rem pertinere) sinistro pede? Parum enim fæde furiosoque insolens fuerat, qui de capite Consularis viri soccatus audiebat, nisi in os Senatoris ingessisset Imperator epigros suos: *O superbia magnæ fortuna!*

### §. VIII.

Osculorum sive deosculationum varia sunt genera: Alia sunt oscula *religiosa*, quæ homines depreciationis, cultûs aut subjectionis gratia Deo vel rebus divinis libare olim conservaverunt; alia *officosa*, quibus alter alteri officium & subjectionem testatur ac reverentiam; alia *amatoria*, quibus sibi invicem Amici, Consangviaci & conjuges amorem testantur aut reconciliationem obsignare solent, *Amicos osculum dari dicimus, luxoribus basum, scorto sciarium,* inquit Barthius L. XXXII. Adv. c. I. p. m. 1465. item: *osculum charitatis, basum blanditiæ, sciarium voluptatis,* quanquam hæc distinctio vocum non semper observetur. De hisce osculorum distinctionibus vid. fusius Celeberrimus JCTus Jenensis Petrus Müllerus Comment. de osculo sancto Jen. edito A. 1701. in Antiloquio. Sed (VII.) neque officiosum neque amatorium omnium minime religiosum Papæ R. pedibus deferri potest osculum. Non religiosum. Quomodo enim Papa symbolum illud sive signum externum religiosi cultûs sibi illo modo vindicare potest? Quid enim est Religio? Est cultus uni & soli Deo debitus & quidem propterea, quia Deus est.



est. Vid. D. Gebh. Theod. Meyer Helmstad. in theol. fidei Disp. I. Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies, Deus præcepit Exod. XX. 3. Deut. V. 7. Matth. IV. 10. Esa. XL. 25. Num vero Papa Deus est, ut divina adoratio eidem competit? Quamvis enim osculari ex sua natura non sit adorare religiose, apud profanos tamen, imo sacros ut I. Reg. XIX. 18. Hos. XIII. 2. Job. XXXI. 26. per metonymiam adjuncti & signi (quod osculum apud Gentiles maximè adorationis symbolum esset, ut patet ex §. 6.) cultum supremo Numini debitum & religiosum designat. Et sic in primis intelligenda sunt verba Psal. II. 12. נִשְׁקָו בַּר oscula-  
mini filium, de honore divino Filio & que ac Deo Patri exhibendo. Sc. ut id Reges & Potentes terræ Messia Dei Filio exhibeant, quod alias subditi per libamina oscularum superioribus deferre solent, scil. subjectionem & cultum. Vid. tamen de h. I. B. Pfeifferus Cent. III. Dub. vex. Loc. XLVIII. de osculis Messiae libandis qv. 3. Equidem non erubescunt superstitiosi adulatores Papæ & nomen Dei vel vice-Dei & axiomata Divina Christiqve elogia impie & blasphemie in suum idolum transferre. Sicut in Concilio Lateranensi sub Leone X. Antonius Pucius less. 9. clamabat: *In hoc uno vero & legitimo Christi & Dei vicario Propheticum illud impletum: Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient.* Et legatos Florentinos Sanctitatem Pontificis hyperdulia adorasse autor est Antoninus part. 3. Hist. tit. 23. c. 17. Imo Moralista & inter eos Anton. Diana part. XI. Oper. Moral. tract. de adoratione Pontif. Resolut. VIII. fol 495. & seq. tunstione pectoris Pontificem R. adorari debere, & inter preces aut celebrationem Missæ ad nomen Pontificis genua incurvanda esse statuit. Caramuel de Hierarch. Eccl. Lib. I. disp. 6o. n. 680. Honorem DEO debitum Romano Pontifici salva conscientia posse attribui impudentissimè pronunciat. Sed hoc ipso nihil aliud testantur, quam in Papâ esse notam illam Antichristi, quâ se super omne, quicquid Deus dicitur aut Numen, extollit præ se ferens se esse Deum 2. Theff. II. 4. Quæ nota quam maxime ex religiosa hac, vel potius superstitiosa Papa Podolatria refulget. Paralipomena Esther, quæ sunt inter Apocrypha cap. II. continent precationem Mardochai ad Deum, quâ profitetur se non ex superbia, sed ne hominem

Deo

Deo anteferret, noluisse Hamanum adorare, cum alioquin vel pedes ejus osculari paratus esset, si id sine Dei offensione fieri potuisset. Unde liquet, quod et si inter Persas inoleverit mos osculandi pedes Magnatum, Mardochai tamen pius & fidelis Judaeus putarit, non posse hunc honorem homini deferri sine Dei contumeliam.

§. IX.

Sed nec officiosum osculandi genus quadrat in Pontificem Romanum. Sicut enim illud officium Regibus & summis Monarchis in eorundem inaugurationibus & aliis fuit olim praestitum, & hodie praestatur, in signum subjectionis, reverentia & amoris; Ita hoc osculum, quia exhibetur illis personis, quibus Deus sceptra & Imperium in manus tradidit, quique Regni ejus vicarii sunt, se tuerit antiquitate & consuetudine, nec magis improbandum, quam illud, quod testandi amoris & honoris ergo filii parentib⁹, vel, gratulandi & congaudendi ergo, Amici sibi invicem impertuntur. Quare jam olim Pharaon, cum Josephum Pro-Regem Ægypti constitueret, volebat, ut super os ejus omnis populus oscularetur, subjectionis & obedientiae testandi causa, ut B. Lutherus haec verba, sicut leguntur in textu originali, explicat Gen. XLI. 40. Hujusmodi subjectionis osculum Samuel Sauli in Regem uncto fixit, juxta usitatum in Palæstina & tota Syria morem 1. Sam. X. 1. Similiter manus osculari magnatum antiquus fuit mos, sicut supra exemplo Principum Romanorum ostendimus. Imperatorum quoque dextras viætrices ob fortia facta milites deosculabantur apud Romanos, teste Alex. ab Alex. L. II. genial. dierum. c. 19. Edit. Lugd. Tom I. p 431. Catoni de provincia decedenti mulieres manum sunt osculatae, quod genus honoris Imperatoribus modo & quidem per paucis id temporis tribuebatur, ut habet Plutarchus in Catone. Vid. Lipsius Lib. II. Elect. c 6. Imperatorum in expeditionem proficiscientium in æde Jovis pcedem Senatores & in templo Jani manum averfum Consules osculatos esse

C

memo-

memorat Anton. de Guevarra in Horolog. Principum L.I. c. 38.  
 p. 142. 143. Videas hic osculo oris aut inanum contentos  
 fuisse summos principes, oscula vero pedum serius, crescente  
 scil. ambitione, cœpisse, & à bonis & moratis, ut supra declara-  
 vimus, non admissa esse, sed ex barbara superbia & fastu Ori-  
 entalium maximè Persarum promanasse. Sed quid hoc ad Ponti-  
 ficiem Romanum? Num & illi debetur hoc reverentia & subje-  
 ctionis, quod vulgo Homagii vocatur, osculum? Ita quidem  
 sancivit Papa & volunt Canonista, qui de necessitate salutis esse  
 flatuunt credere, quod omnis anima sit subiecta Romano Pontifi-  
 ci. Verum sicuti solus Deus Reges & Imperatores constituit,  
 à quo ipsi Regnum & cum eo honorem Regium habent. Dan.  
 II. 21. Ita & Papa sibi à Deo ejusmodi eminentiam super ippos  
 Reges & Monarchs concessam, & suis pedibus illos cum uni-  
 versis subditis & hominibus in Orbe viventibus subiectos esse,  
 ex Divina Legis tabulis probare debebat. Sed hoc non fiet in  
 æternum: Sole meridiano clarius est ex pandectis sacris, Chri-  
 stum summum Ecclesiæ Monarcham omnem principatum secula-  
 rem & Dominatum temporalem procul esse à suis ministris voluisse  
 disertis illis verbis Luc. XXII. 24. Reges gentium dominantur,  
 & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur; vos autem  
 non sic &c. Quare Bernhardus hanc Evangelii lucem in mediis  
 Papatus tenebris videns: Planum est, inquit, Apostolis interdi-  
 ciatur Dominatus. I ergo (applicans haec ad præsentem Papam)  
 & tibi usurpare aude aut dominans Apostolarum aut Apostolicus  
 dominatum. Planè ab alterutro prohiberis, aut si utrumque si-  
 militer habere velis, perdes utrumque. Alioquin non te excep-  
 ptum illorum numero putes, de quibus queritur Deus (Hof. VIII.  
 4.) Ipsi regnaverunt sed non ex me, Principes constituerunt, &  
 non cognovi eos L.II. Confirmationum ad Eugen. Papam c. 6.  
 Tom. IV. Oper. p. 6. Plura contra hanc Monarchiam Papæ domi-  
 natumque temporalem vid. Disp. in Luc. XXII. 38. A. 1699.  
 habita. Cum ergò ex nullo titulo sive divino sive humano, ut  
 ibidem demonstravimus, Principalem suam autoritatem & supre-  
 mam

mam in omnes homines Dominationem tueri possit Papa, Jure illi honor principibus debitus denegatur. In primis cum eundem latius extendat, & non ad manū saltem sed & ad pedum osculum tyrannica potestate, ipsos Christi membra & Vicarios in his terris abjiciat. Ut ut vero de facto, nunc Princeps Italæ, civilem illam reverentiam videatur expetere; non tamen & hoc respectu, quatenus Papa est princeps Politicus in Italia vel potius in suo patrimonio, osculum hoc pedum ei deferri potest, sine crimine simulationis Idolatriæ, quia simul Hieromonarcha haberi vult, & sub specie adorationis civilis religiosam intendit, sibi soli debitam, ceu ex re & vero judicavit. B. D. Joh. Frid. Mayerus Theol. Famigeratissimus Exerc. Hist. Theol. de Osculatione pedum Rom. Pontif. Witteb. A. 1697. habita cap. 3. qv. 2. &c in tract. eius residenz Lutheraners Unterricht ic. p. 41. seqv. 138. Denique si Papa ex Jure Principatus & supereminentia oscula prætendit, cur non imitatur eosdem potius in exhibendis osculis, quæ & superiores inferioribus testandi amoris & clementiæ causa infigere soliti fuere, de quibus vid. D. Petrus Mullerus l. c. cap. V. & Kempius l. c. Diss. XI.

### §. X.

Restat ultimum osculandi genus, quod amatorium sive charitativum diximus, quò se testandi amoris ergò excipere solent Amici & familiares, fratres & sorores, Conjuges seu desponsatae Personæ, Parentes & liberi, quorum exempla habemus in sacris, ut parentum oscula filiis offerentium Genes. XXXI. 28. XLVIII. 10. 2. Sam. XIV. 33. Luc. XV. 20. & filiorum pari amoris symbolo parentes prosequentium Genes. XXVII. 27. 1. Reg. XIX. 20. Sic Jacobus Rackelem filiam avunculi sui osculatus est ad fontem Genes. XXIX. 11. Joseph fratribus suis Genes. XLV. 15. Aaron Moïs Exod. IV. 27. Naemi nuro suæ. Ruth. I. 14. oscula dedere. Veteres quoque Christianos osculum testarum habuisse sponsaliorum ex Tertulliani lib. de velandis virginibus c. 2. docet B. D. Joach. Hildebrandus lib. de

C 2

nuptiis

nuptiis veterum Christianorum. De osculo hoc conjugali vid.  
cit. Müllerus l. c. c. 3. Sed ubi Papa oris osculum figit spirituali-  
bus suis liberis charitativum, quibus non os sed pedes osculandos  
præbet? Quos agnoscit pro suis fratribus? quos dignos oris  
osculo habet? Raro & in secreto familiares suos purpuratos  
ad illa admittit, & si exempla fortè sint aliorum, rara tamen  
sunt nec ipsa faciunt legem. Forsan verò Papa erit universalis Ec-  
clesiae Sponsus, ut impudenter asserit Joh. de Turrecremata:  
Sed ne sic quidem sponsi partes adimplerent. Non enim mutuam  
sic benevolentiam declarat ecclesiae sibi despontatae ejusque mem-  
bris, dum illam saltem ad deosculandos pedes invitat promiscue  
cum suis filiis, sed intolerabilem potius fastum & Imperium plane  
despoticum prodit. Non ergo religiosum, sed profanum & idolo-  
laticum, non civile sed incivile & servile, non charitativum sed  
hypocriticum & proditorium hoc est osculandi officium, quod  
Papa Romanus exigit.

#### §. XI.

Talis visa fuit hæc deosculatio pedum Papalium aliis, qui  
Podola'riam ex hisce adductis rationibus haud amittere volue-  
runt, sed heroico Spiritu superbia Papali sese opposuere. In  
Historia Concilii Florentini Sect. IV. cap. 20. & 21. (ex citatio-  
ne Sviceri in Thesauro Eccl. sub voce ασπρούς P. I. p. 556.)  
acris satis inter Pontificem Romanum & Patriarcham Constan-  
tinopolitanum exorta fuit contentio, cum hic officium hoc illi  
nollet exhibere & Legatis Papæ diceret: *Nisi Papa remiserit mi-  
hi meūque Archi-Episcopis, Proceribus & Crucigeris τὸν πό-  
δος ἀπταγόνον pedis osculum, non potero ex hac navi in terram de-  
scendere.* Ibidem hic Patriarcha Episcopos ad se missos ita di-  
citur allocutus: *Dicite, unde Papa sibi hoc arrogat? Que syno-  
dus antiquorum Parrum? Que canon ei hunc morem indulxit?  
Monstrate mihi ubi reperitur antiqua concessio? In quo Codice  
scriptum permanet memorare?* Et si successorem Petri Papa se  
vendi-

venditat, quidni & nos à reliquis Apostolis descendisse asseveremus? Quis unquam hoc audivit? Novatianam esse banc consuetudinem, qua me imbi, nuncquam patiar me adduci ad ejusdem praxin amplectendam. Quodsi dicebat tandem, cupiat Papa, ut sicut fratres fraterno more in mutuos complexus ruamus, quemadmodum apud nos & ecclesiam Christianam ab eterno invaluit consuetudo, lubentissime ad eum accedam. Sin ultra postulare pendum oscula perseveret, revertar unde veni. Ita ille in Historia Unionis non veræ inter Græcos & Latinos s. Concilii Florentini narratione per Sylvestrum Sguropulum Magnum Ecclesiarcham scripta & latinitate donata per Robertum Creychtonem ex citatione D. P. Mülleri Comm. cit. c. 4. n. 30. Vid. eandem relationem ex Mornæ Myster. Inq. p. 1220 seqq. apud Beccmannum Diff. VIII. Synt. Dign. illufr. §. VI. p. m. 764. ubi exitum hujus Disputationis hunc fuisse ex actis hujus Concilii memorat, ut Papa, cum osculum pedum non posset obtinere, in privata cœla, præsentibus tantum Cardinalibus Patriarcham exciperet. Ad Papam cum pervenissent Regis Angliae legati osculari amplius ejus ex more pedes noluerunt: Sed cum l'apa pedem osculandum extendisset, catulus Comitis Wittonensis ingressus simul, cum pedem vidisset, gemmis auroque lucentem, dentibus apprehendit & momordit; et si Papa indignè hoc ferret; & inducto ad se splendido pede altero canem abegerit sicut M. Kempius c. I. §. 33. ex Antiqu. Britannicis à Joh. Josselino collectis refert. Cum A. 1538. Franciscus Valesius Rex Gallie Pauli III. Pontificis in cathedra sedentis pedem dextrum in primo congressu oscularetur, & ut idem facerent, qui erant in comitatu Regis, Principes & Legati monente Constablio hortaretur, id facere recusabant Christophorus Dux Wirtembergicus, Gvilielmus Comes Furstenbergius Germani; Marescallus Marchianus Gallus, & Dania Regis legatus Georg. Sluchius, ut totidem verbis testatur Sleidanus Comm. de Statu Relig. &c. L. XII. p. m. 196. Vid. Bodinus L. I. de rep. c. 9. Imo Pontifices ipsos quandoque hujus servilis officii sibi à summis Monarchis exhibiti puduiscit

& inde hoc ipsum vel declinasse vel excusasse Celeberrimus D. Beccmannus in Syntagm. Dign. Illustr. Disert. VIII. c. 1. §. 6. p. m. 765. exemplo Leonis X. confirmat, qui Francisco I. Regi Galliae A. 1515. Bononiam adventanti id permettere noluit, eundemque ut Primogenitum Ecclesiae sine osculo pedum amplexibus excipere voluit: quanquam cum Rex instaret, non tantum pedem sed & manum & maxillam osculanda praebererit, quod & postea in pede & manu factum à Regina ex Ceremon. Franc. L. I. f. 252. Nec Clemens VII. in adventu Massiliensi A. 1633. Cancellario Galliae hoc ipsum permittere voluit. *Non pedes, sed manus*, dixit, eumque jussit surgere de terra, quod & factum. Cerem. Franc. P. I. p. 817. Cumque Carolus V. in Ingressu Bononiensi idem praestitisset, Pontifex quidem non renuit oscula pedum & manuum, excusavit tamen hanc impudentiam exemplo majorum, petiitque ne id Cæsarea Majestas interpretetur in malam partem. Sic habet Descript. Coron. Rom. Caroli V. apud Goldastum. Col. Imp. P. IV. fol. 328. ex cit. Beccmanno c. I. Atque hinc ipsis Cordatiis inter Pontificios mos hic deosculandi pedes Pontificis stomachum movit, ut contra illum scriberent eundemque exhibillarent. Erasmus considerans Petrum, qui adorationem Cornelii ad suos Pedes recusabat, Pontificem perstringit: *ubi sunt, inquit, qui non modo ingenuos verum etiam Summos Monarchos ad oscula, non pedum dico, sed calceorum, non admittunt modo sed cogunt?* Comment. in Actor. X. --- Papyrius Maffonius in Episcopis Urbis R. in Bened. XII. notari vult verba Jac. Fabri prudentissimi Jcti: *Papa in verbis dicit se servum servorum DEI, de facto autem se adorari permittit, quod Angelus in Apocalypsi refugit;* addens: *Videtur autem id dicere, quasi damnans consuetudinem eorum, qui demissime procumbunt ad pedes Pontificis ut signum Crucis in superficie calcei intextum deosculentur; qui mos an sit antiquissimus nescio, nondum enim omnia legi: sed hoc scio consuetudinem illam Cisalpinis populis non probari quam Italice genti ad hujus generis obsequia & demissiones natae Fauchetius*

chetius in vita Caroli c. 10. (ex cit. P. Molinæi in Hyperasp. cap. 26.) *Ceremonia observata in Coronationibus ex humilitate Christiana à Papa retenta est, qui ad imitationem Ethnicorum Imperatorum patitur nunc figi suis crepidis oscula.* Hoc pacto sibi tacitè retinens *Jus Dominii in omnes Christianos imò & in ipsum Imperatorem Christianum quando coronatur.*

### §. XII.

In specie quod attinet Morem illum etiam demortui Papæ pedes osculandi, de quo §. 2. diximus, illum quidem Papicola pro magno reputant pietatis officio, tanti meriti, ut inde indulgentiam & remissionem peccatorum sibi promittant; unde catervatim per triduum, quo expositum est cadaver Papæ, accurrit, ut tradit Banckius loco §. 2. cit. Nos verò non dubitamus, eundem feedum & impurum, quique non nisi superstitionis Gentilium habeat exemplum, & propterea Christianos imò moratos homines non deceat, pronunciare. Equidem ut amici sibi valedicentes invicem oscula fixere, ut de Davide & Jonathane 1. Sam. XX. 41. Paulo & Milevitanis legimus Actor. XX. 37. ita & prisci Christiani agonizantibus osculo valedixerunt; ceu ex moribus sui seculi testatur Chrysostomus Hom. I. de patientia Jobi. Sic & Joseph cernens Jacobum parentem collectum ad populum suum, ruit super faciem Patris flens & deosculans eum. Geh. L. 1. Sed quis unquam fidelium ad pedes Cadaverum proruit, ut oscularetur eos, vel religionis hoc officium putaret & meritorium? Accedebant veteres ad martyres vinculis detentos singulari pietate moti, ipsosque osculabantur & vincula ipsorum. Vid. Tertull. L. II. ad uxorem p. 481. Pius Imperator Constantinus Vulneribus & cicatricibus martyrum labia admovit, eaque osculatus est, teste Theodoreto Histor. Eccles. Lib. I. cap. 11. Euseb. Lib. I. de vita Constant. cap. 4. Sed num inde remissionem peccatorum speravit? Scilicet cœpit ille mos osculandi corpora defunctorum ex Apotheosi Gentilium ut optimè judicat

judicat B. D. Meyerus Diff. cit. c. 1. §. 4. in qua principes, qui  
in numerum Deorum referebantur, inter alias ceremonias &  
oscula manuum & pedum recipiebant, de quibus vid. Alex. ab  
Alex. Gen. Dierum L. VI. c. 4. Kirchmannus de Funer. Rom.  
L. IV. c. 13. 14. Sic Ottonis Imperatoris mortui manus & pe-  
des multi praesentium militum cum plurimo fletu exosculati sunt.  
Svetonius in vita Ottonis. c. XII. 7. p. 398. Cleopatra Antonii  
tumulum coronavit & deosculata est. Plutarchus in M. Antonio.  
tom. I. Oper. p. 954. C. Sed & Urnam, quam mortuorum reliquiae  
condebantur, osculo exceptam Ant. Borremansius Var. lect. Lib.  
c. XX. p. 263. ex Herodiano L. IV. c. 1. narrat, ita Severi exequias  
describente: *Poſt ſequabantur Consules urnam cum Severi reliquiis  
geſtantēs. Qui vero novos Imperatores conſalutaverunt, urnam  
quod ſupplices adorabant; sc. more illo tempore recepto manum  
ſuam oſculantes & deinde eam adverſus illud, quod adorabant,  
protendentes. Ex hifce impuris Gentilis ſuperftitionis rivulis flu-  
xere oſcula, quae rudiſ & ad ſuperftitiones illas prionior plebs Chri-  
ſtiano in orbe in adoratione reliquiarum ſibi imitanda proponuit,  
ex attaſtu & oſculis earumdem eximiæ Martyrum & Confessorum  
virtutis atque Meritorum ſe participem fore ſperans. Quod  
ipſum jam ſuo tempore Auguſtinus non obſcurè reprehendit, cum  
monet in ejusmodi cavendum eſſe: Ne aliqua de cultu divino  
uſurpentur, que honoribus deferantur humana, ſive humilitate ni-  
mia ſive adulatio[n]e peſtiferâ. L. X. de C. D. c. 4. Quare Carolus  
M. hunc cultum minime deferendum eſſe sanctis demortuis. L. I.  
de Imag. c. 9. & L. 2. c. 20. & 25. cit. D. Gerhard. in Con-  
fess. Cathol. piè & Christianè docet: Adoratur, inquit,  
Deus ſed non oſculatur: venerantur sancti, qui ē ſeculo cum tri-  
umphi migraverunt, ſed nec adorari debent cultu divino nec  
oſculari (i. oſculo excipi.) Hieronymus adverlus Vigilantium  
acriter & excitata bile ſcribens Tom. II. oper. Ep. 53. p. m. 407.  
videtur improbare quod ipſe de martyrum reliquiis dixerat: Quid  
neceſſe eſt te tanto honore non ſolum honorare ſed etiam adorare illud  
necio quid, quod in modico vāſculo traſferendo colis. Quid pul-  
verem*

verem linteamine circumdataum adorando oscularis? Propè ritum gentilium videmus sub praetextu religionis introductum in ecclesias, sole adhuc fulgence moles cereorum accendi, & ubiunque pulsulum nescio quid in medio vaseculo pretioso linteamine circum-  
dataum osculantes adorare. Interim tamen maximè protestatur Hiero-  
nimus haec non ad cultum religiosum sed ad magnum solum ho-  
norem Martyrum spectare. *Quis, ò insanum caput, aliquando mar-  
tyres adoravit? quis hominem putavis DEUM?* --- Dolet marty-  
rum reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis vel cilio  
colligari, & projici in sterquilinium, ut solus Vigilantius ebris & dor-  
micens adoretur. De Cereis respondeat, id facere mulierculas que  
zelum habent sed non secundum conscientiam. Còs. August Epist.  
CXIX. & L. XXII. de Civ. Dei. c. 8. Atque hinc in Concilio Antis-  
iodorensi juxta Cariolanum sub Gregorio M. A. 590. Canone XII. ex-  
presso haec leguntur prohibita. Verba Canonis apud Caranzum p. m.  
392. haec sunt: *Non licet mortuis nec Eucharistiam nec osculum  
tradere, nec velo neque palliis corpora corum involvi.* Jacobus Goar  
in Euchologio Græcorum illustrato, ubi agit de officio Exequiarum  
p. m. 542. ex Dionysio adducit, demortuis à Præfule, qui super eo ora-  
tionem facit & à præsentibus aliis oscula fuisse data, in pietatis chari-  
tatisque pignus, aut arrham orationum pro mortuo faciendarum, ut  
ipse expotuit Goar. Atque hinc Canonem Concilii Antisiodorensis  
de mortuis sub anathemate tantum vult intelligi, addit tamen: *Meru-  
tuos autem quoslibet etiam nunc Ecclesia Latina de osculari non pro-  
hibet, sed nec jubet, que oscula publice dandi usum nunquam as-  
sumptur.* Quid ergo agunt Papicola, oscula dantes pedibus cadaveris?  
Quid inde boni sperant? Si dicas, testari illos ultimam pietatem &  
honorem iisdem debitum, qui benè præfuerunt ecclesia; cur non eun-  
dem & aliis præbent Episcopis? & quare non potius ducunt hic ex  
præscripto Apostolo vivere Hebr. XIII, 7. quam instituta Romano-  
rum Gentilium & superstitionum hominum imitari? Et si utique  
valedicendum putarent Capiti Ecclesiæ osculo, cur pedes ejus osculan-  
tur & non in corpus totum vel caput vel os ejusdem ruunt? Quia san-  
ctitas, quæ salus in pedibus, in quibus non amplius spiritus? Nonne sic  
coinquiuant ex attacku cadaveris, sive crepidæ os suum sanctioribus usi-  
bus à Deo destinatum?

## §. XIII.

Sed videamus, quānam Podolatræ Papæ utantur ceruſſa, quā officium hoc Papæ debitum colorare student. Dupli vero modo id fit; partim impudenter satis hæc oscula defendant; & ex Lege non solum Papali sed & Divina eidem deberi prætendunt: Partim excusant, quasi honor ille & pietatis officium præbeatur pedibus ejusdem, propter S. crucis signum in Sandaliis expressum. Ex sacris Literis illi adducunt tum Prophetias, in quibus de tali honore Pontifici R. exhibendo divina loquantur oracula v. g. cum Eſa. XLIX, 23. de Regibus Principibus & nutritiis ecclesiæ dicitur, quod coram illis populis sint incurvaturi, pulverem pedum eorum lingendo. & Cap. LX, 14. ad plantas pedum se sint incurvaturi. Hæc impleta esse volunt in Pontifice Romano, cuius pedes exosculentur Reges, utpote quorum gloria in eos sit translata juxta Eſa. LX<sup>1</sup>, 6. Stevanus de osculo pedum P. R. c. 2. ex cit. B. D. Meieri Disp. cit. c. II. §. 2. Cornelius à Lapide ad 2. Thessal. II. & Eſa. XLIX, 23. Verum hæc & similia dicta ex Pl. 11. 12. LXXII, 9. CX, 1. Mich. VII, 17. de Christo esse accipienda & non propriè sed metaphorice explicanda, omnes Interpretes unanimi ore docent. Imo Sanctius Pontificius Commentator sanctius hæc expōsuit Comm. in Eſa. XLIX. p. 505. *Hec metaphorice, inquit, & ut reor proverbiali figura dici videntur ex Persarum more, apud quos severè cautum, ut qui cum Regibus loquuntur essent, prius oscularentur pavimentum regio calcatum vestigio.* Pontificii quidem putant, Papam esse Christi vicarium, & quicquid Papæ fit, fieri Christo. Verum sicut Vicariatum illum nondum probarunt nec probare possunt; ita non satis firma est collectio à Principali argumentari ad vicarium. *Etiamsi Vicarius honorandus sit, tanquam vicem tenens & locum principalis Domini, tamen non eodem honore,* inquit Navarrus apud Rivetum in Jesuita vapulante c. 28. qui & in exemplum adducit hoc ipsum osculum: *Osculamur, inquit, pedes Papæ honoris gratia, non tandem id facimus ejus gratia etiam à latere Legato minus ejus delegato.* Præterea adoratio dignitas est incommunicabilis soli Deo propria Eſa. XLII, 8. Christo verò secundum humanam naturam propter unionem personalem & communicationem Idiomatum unicè competit Phil. II, 10. Vid. D. Meierius l. c. & autores ab eodem citati. Ad exempla

San-

Sanctorum, ad vel ante quorum pedes contur' adorasse Præfecti  
 Regii 2. Reg. 1, 13, imò Nebucadnezar Dan. 11, 46. provocan-  
 tes rem acu minime tangunt. Aliud enim est ante pedes adorare  
 aliud pedes osculari & osculando adorare. Erat hic gestus apud  
 Orientales supplicantium, submissionis extraordinariæ signum, pro-  
 miscuè exhibitus viris in dignitate constitutis. Quid inde ergo lu-  
 cratur Papa, qui nulli alii hunc honorem concedit? Lubens præte-  
 reo illa argumenta, quæ alii ex depositione bonorum ad pedes A-  
 postolorum Act. IV, 35. V, 2, & ex Apoc. 11, 9. de iis, qui ex Sy-  
 nagoga Satanæ dicuntur adoraturi ante pedes Episcopi Philadelphiae  
 proferunt. Quæ ea facilitate quaſadducuntur, rejiciuntur. Vid. laud.  
 Meier §. 5, & 6. Similiter exempla ex Historicis & Scriptoribus  
 Ecclesiasticis ab Adversariis producta nihil omnino probant, quæ  
 in controversiam veniunt in hoc ποδοφιληστι Papali. Non enim  
 consuetudines, imprimis per Legem tyrannicam inductæ, nec exem-  
 plum hujus vel illius, qui partim coactus partim male informatus  
 id præstet, firmam facit morum regulam. Aliud præterea est  
 ultrò se proſternere coram aliquo non poscente, aliud pedes ejus  
 osculari, idque ex Lege & officio & cogente necessitate, optimè in-  
 quid B. Molinæus Hyperasp. p. 179. Ex supra dictis abundè patet,  
 quæ fuerit servilis hujus cultus origo & quæ ejus incrementa. A-  
 postolorum quidem ætate & quæ illi proximè succedit, incogni-  
 tam fuisse hanc Podolatriam ex §. IV. constat. Inepte quoque adgeni-  
 culatio illa, quæ à pœnitentibus siebat charis Dei, cum osculo pe-  
 dum confunditur & ad Pontificem applicatur. Si nullum proba-  
 tum ex tribus prioribus Seculis Podolatrias Papalis producere possunt  
 testimonium & documentum. Quæ enim de Philippo & Con-  
 stantino M. hic urgentur, ea supra §. V. discussa. Etsi vero poſtea  
 translati Imperio Romano Constantinopolin, & imminentia lenſim  
 Imperatorum in Italia potestate, propter absentiam & barbarorum  
 invasiones Pontifices Romani honores suos ad Imperia traduxerint,  
 & Sacra profanis miscentes potentiam Religionis specie mirum in-  
 modum auxerint, & Hieromonarchiam stabilire fuerint conati, Se-  
 culo tamen XI. demum praidente Gregorio VII. lex hæc a Tyranno  
 lata cognoscitur; *Quod solius Papæ pedes omnes Principes*  
de-

deoscularentur, quin ~~et~~ em Synodo dictatoriè statuit: quod unicum sit nomen in mundo, Papæ. Cui ne quid in posterum decederet, sedulò caverunt Hieromonarchæ, ita ut remitentes cogerent & obsequiosos filios beneficiis demulcerent, usque ad tempus, quo luce Evangelii ex mediis tenebris resplendescente, turpitudinem hujus Podolatrias agnovere Principes partim Evangelici partim Pontificij, qui & ipsi ægrè & raro hoc officium Papa hodie præstant, Imò omnes, qui exinde Antichristum in templo Dei se extollentem super id quod Deus est, & ut Deum se adorari cupientem agnovere. Et si omnino sequioribus temporibus semel iterumque tale quid contigit, Juris id Romani novi fuerit; quo Romanus Pontifex decrevit, rem semel sibi factam semper esse debitam, ex quo semel facta. Hac vero lex non Regia est sed tyrrannica: Quæ si in Pontifice vera est, videant magistratus omnes, ne qua in regalisscentur Pontifici, ceu optime monet Franciscus Junius Animadu. in Bellarm. de Translatione Imperii. p. 7.

#### S. XIV.

Quod cum aliqua specie objicere nobis possunt, est hoc; quod non solum in antiqua Ecclesia Latina sed & Graeca etiam hodierna obtinuerint, & obtineant oscula manuum & quandoque pedum Antistitutum Sacrorum. Sic enim Ambrosius loco supra §. V. citato de dignitate sacerd. sublimitatem Episcopalem mirum in modum extollit, ut etiam dicat: Si Regum fulgori compares & Principum Diademi; longe erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares, & addit: Quippe cum video as Regum colla & Principum submitti genibus sacerdotum & oscularis eorum dextris orationibus eorum se credunt muniri. Narrat Paulinus in vita Ambrosii, & inter præludia futuri Episcopatus memorat, quod ipse adolescentis, cum videret Sacerdotis à domestica sorore vel matre manus osculari, ludens suam obtulerit dextram, id sibi, tanquam futuro Episcopo deberi, dicendo. Et Hieronymus Epist. LXXXIX, te Presbyterum ita à quibusdam in honore habitum testatur, ut sibi manus oscularentur, dicit. Crepat etiam illud Chrysostomi

stomi Hom. LIX. ad Pop. Antioch. Accede, inquietis, sanctos,  
 tange pedes, multo namque honestius est hos pedes tangere quam  
 aliorum caput. Dic enim mihi, siquidem statuarum pedes appre-  
 hendunt, quoniam Regiam tantum habent figuram, tu ipsum in  
 se habentem Christum non pedibus tenebis & salvis eris? Sancti  
 sunt pedes, licet viles sint: inquinatorum vero neque caput vene-  
 randum est: Sanctorum namque pedes magna potuerunt, quam  
 obrem & ulciscuntur, cum pedibus pulvorem excusserint. Nec  
 non quod ipse Goram. in Rom. XVI. hom. XVII. hujus ritus  
 usum non obscure insinuet, cum dicit: Hypocitarum esse publice  
 quidem & ad omnium conspectum osculari manus sacerdotum, ge-  
 nua tangere, supplicare; ut pro se orient & baptismō indigentes  
 ad illorum januas currere, domi autem & in conventibus tanto-  
 rum bonorum autores & Ministros contumelias profundere & con-  
 tumeliam inferentes tolerare. De osculo vero, quod in ecclesia  
 Graeca & Latina inter communionem S. celebrationem Missæ, Sacra  
 peragens Praeful vel Pontifex ex antiquo ritu à Diaconis & aliis Cle-  
 ricis assistentibus recipit vid Jacob. Goar Not. ad Missam Chrysost.  
 p. m. 134. & Guil. Durandus in Rat. Div. officii L. IV. c. LII. §. n.  
 12. 13. Episcopus, inquit, solenniter celebrans juxta morem qua-  
 rundam ecclesiarum ter osculatur, semel ministrum & secundo,  
 Diaconum, & tertio sacerdotem. -- In signum vero reverentie  
 subdiaconus & diaconus pedes & manus summi Pontif. osculan-  
 tur: pedem subdiaconus osculatur post epistolam lettam & Dia-  
 conus ante legendum Evangelium. Manum vero subdiaconus oscula-  
 tur offerens ampullam cum aqua calicemque cum vino; & dia-  
 conus offerens patinam cum hostia & thuribulum cum incenso,  
 uterque etiam de manu Summi Pontif. eucharistiam accipit. Il-  
 lud quoque non vacare mysterio creditur, quod summus Pontifex  
 septem modis accipit osculum, videlicet, ad os, humerum, ad ma-  
 nus, ad brachia, ad genu, ad pedes. H. I. De osculo, quo in  
 solennitate Paschali, Sacerdotem cum Evangeliorum libro prodeun-  
 tem è finibus Bematis veneratur primus dignitate, post oscula Ima-  
 ginaui, que in Evangelio sunt, figendo illud humeris ejus cum  
 verbis: Χειρὸς ἀνέδη & recipiendo illud in faciem cum verbis:

ἀληθῶς; ἀνέδη, quoque deinde sacerdotes se invicem, & inde  
 consequenter populus eodem modo salutant. vid. Leo Alatius disl.  
 de Dominicis & Hebdomadibus Recent. Græcorum, quæ addita  
 est Libris de Eccl. Oriental. & Occid. perpetua consensione, pag. m.  
 1450. Confer. Thom. Smith de Græcæ Eccl. hodierno statu p. 117.  
 ubi recensetur quomodo promiscuè præsentes Sacerdotis post missam  
 finitam, diebus festis Colyborum oblationem distribuentis, manus vel  
 vestes in reverentia signum osculentur, cum illas particulas grata-  
 ter & avide suscipiunt, & quæ Iple de προσκύνεσι Græcorum, in  
 qua maximam cultus partem collocare videntur Græci l. c. p. 93.  
 & additam. ll. p. 153. scribit. Neo non D. Joh. Mich. Heiniccius  
 in nuper sc. 1711. edito Commentario eruditio, cui titulum dedit:  
 Eigentliche und wahrhaftige Abbildung der alten und neuen  
 Griechischen Kirchen. III. Part. cap. 5. pag. 322. & seqq. Sed  
 quis non videt hæc omnia, qua adducta sunt de honore Sacerdo-  
 tibus in celebratione Sacrorum exhibito parum aut nihil juvare cau-  
 sam Podolatrarum Papæ. Jam supra §. V. ostendimus, quod hoc  
 externo signo amorem & reverentiam erga sanctos DEI ministros  
 testati sint fideles, quos pariter mutuo pacis osculo illi recepero:  
 Neque etiam soli Pontifici Romano hunc cultum deberi exempla  
 Hieronymi, Ambrosii & Chrysostomi, quorum neuter Pontifica-  
 tum tenuit, satis tantur. Imò dum Patriarchi in ecclesia Græ-  
 ca & Episcopis sacra celebrantibus & in eorumdem ordinatione  
 eadem exhibetur reverentia; Quid Papa hic habet singulare? Quin  
 ex allatis exemplis ex parte colligitur modestia veterum Epi-  
 soporum non ad pedes suos Auditores deprimentium, sed ad ma-  
 nūm oscula admittentium, ut observavit Fronto Ducæus Pontifi-  
 cius scriptor in Notis ad Chrysostomi homil. Edit. Parif. Anno 1614.  
 Audians tamen & Lansium in Consultationibus Orat. contra  
 Italiam pag. 971. qui in dubium trahit, num verba illa citata  
 Ambrosio possint tribui, eò quod nec modestiam nec seculum sa-  
 piunt M. Ambrosii & illa inter Episcopum & Regem comparatio  
 vitio non caret. De Chrysostomo idem esto judicium: Quan-  
 quam enim & ipse in exaggerando honore Sacerdotibus debito  
 oratorio more excedat: non tamen summam religionis & devoti-  
 onis

onis in hoc rite ponit, sed honorem & reverentiam, que viris in dignitate constitutis deferri solebat, contra contemptum ordinis sacri, qui suo tempore se excerebat, adstruere videtur. Certe si Podolatriam Papalem vidisset, ingeminasset illud; quod scribit in Ps. CXL, tom. III, Operum Edit. Recent. p. m. 482. *Est etiam alia via interitus, quæ ex ore proficiscitur, quando sunt turpia & immunda oscula, quando ficta & fraudulenta: Eis quoque impone custodiā.* Tale erat osculum Iudeæ dolo plenum. Sed non tale osculum Pauli, qui iussit se invicem osculari 2. Corintb. XIII, 12. --- Cujusmodi etiam fuit illorum, qui in Pauli collum ceciderunt & eum amplexi osculabantur, Act. XX, 37. Osculum Sanctorum honestum & sincerum, dilectione plenum. Juvat hisce adjungere illa Augustini ex Enarrat. in Ps. XLVI. Tom. VIII. Operum c. 429. ad verba: *Subjecit plebes nobis & gentes sub pedibus nostris; Puras inquit, voces esse Apostolorum: Subjecit &c. Nescio.* Mirum, si Apostoli tam superbe loquerentur, ut gaudenter gentes esse poscas sub pedibus suis i. e. Christianos sub pedibus Apostolorum. Etenim gaudent nos secum esse sub pedibus illius qui mortuus est pro nobis. Nam sub pedibus Pauli currebant qui volebant esse Pauli & dicebat illis: *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est?*

### §. XV.

Hæc perspicentes allii, & quam infirma nullaque sint praesidia pro osculatione pedum Hieromonarchæ sui ex Scriptura & antiquitate puriore ecclesiastica petita agnoscentes, ut aliquo fuso tamen palliarent hæc ποδοφιληματα Papæ; dicunt, reverentiam hanc & cultum religiosum non exhiberi Papæ sed sanctissimo Crucis signo, quo intertexto purpurea sandalia Papæ sunt ornata. *Cruci Christi osculationem potius, quam sibi ipsis tantum honorem deferri maluerunt (sc. Pontifices, quorum humilitatem & demissionem ex hoc colligit) ut omnes Christianos benignè ad oscula pedum exciperent.* Itaque ut expressam Christi imaginem referrent, & Salvatoris passionem in hominum memoriam redigerent, crucem san-


sandaliis affixerunt, ut Christiani homines eos honores, quos debitos & necessarios Pontifici deferabant, Cruce perspecta alacrius exhiberent, scribit Josephus Stephanus, Episcopus Cariolanus in Itinerat. Italæ L. II. c XL. p. m 451. Et mox p 453. Sed & ex altero capite Romani Pontifices expressam Apostolici munera imaginem prætulerunt. Qui, cum docendo universum orbem curram acceperint & evangelizandi potestatem, pedum quoque pulchritudine ornati sunt ad pacem & Evangelium deferendum, Esa. LII. 7. ut mundi & perfecti crucis virtute in toto orbe decurrerunt. p. 454. Ille munera majestatem & pedum decorum ostenderent & se ad Evangelii prædicationem expeditos & promptos indicarent, crucem calcamenti addiderunt. --- Præterea omnium Christianorum fronti & pectori Crux Christi infigitur, ne sedem erubescerent, sed superato Diabolo trophyum in frontibus reportarent: Romani v. Pontificis pedibus imprimitur, ut crucis virtute fultus, gressus nostros in viam pacis ducat & munitatioris gregis Christiana doctor & preceptor &c. cuius pedes immoti & stabiles in vera religione. Tandem p. 455. Quam prius pedes Pontificis cruce decoratos inspicimus, vanas terrenasque cogitationes esse calcandas, & subtile animi perturbationes, que pedum nomine veniunt, affigendas cruci, monemur: Verum etiam omnia, sive in celis, sive que terra continentur, sanctissimo signo, in quo Dominus noster acerbissimos pertulit cruciatus & amplissimum egit de hostibus triumphum esse prosternenda. Quod sane nusquam alibi aque ac modo verius experimur, cum omnes ad Pontificis pedes ruant & ad crucem osculandam communis voto precipites ferantur. H. I. Sic & Joh. Bapt. Casalius de veterum Christ. ritibus c. LXXXI. p. 409. osculum pedum P. R. excusat ita scribens: Divino spirante lumine apposuerunt crucem super Papæ sandalia, ut denotetur, quod tale osculum pedum non deseratur Papæ tanquam homini sed Christo Iesu crucifixio in ejus persona, cuius in terris vicarius est; ut pariter remiserit Joh. Baptista Pharisæos ad Jesum Joh. c. I. 26. dic. Ego baptizo &c. Unde protestantur summi Pontifices esse se servos servorum ejus, quem ipsi representant per crucem. Vid. etiam Bened. Balduinus de

de Calceo & aliis cit. a B. D. Meiero I. c. §. XII. & Kempio Dilp. X. §. 30. Verum quid hoc est nisi ludere in re letia & religiosa? Non alia ratione memoria Crucifixi fidelium animis inculcari potest? Certe Paulus & Petrus per prædicationem Crucifixi imaginem ejus cum majori efficacia expellere in oculis & cordibus fidelium, quām Papa ostensione Crucis calcei superficie intextæ auro vel gemmis ornata. Pælchiores & puriores erant apostolorum, qui evangelizabant, pedes quām Papæ: non tamen passi sunt illos deosculari. Claudiabant Papæ pedes in viis Domini & calceus ejusdem co-thurno veratilius deprehensus. Crucem quam profitetur, & honorari vult in pedum osculo, blasphemat Papalibus dogmatibus & propterea conculcat. Audiamus Pontificii Autoris judicium, quod ipsi vis Veritatis expressit sc. Fauchetii in vita Caroli c. 10. ex citatione Molinæ in Hyperasp. c. 26. pag. 192. Ille quidem, inquit, ad declinandam reprehensionem intexuit crucem crepidæ, ne protervus habeatur: quippe cum Reges se absciant non ad osculandos pedes, sed erucem, quam gerit in crepida. Verum tamen qualisunque color adhibetur ad incrustandam hanc homagii ceremoniam, quibusdam videtur indecens deprimere ad pedes signum nostræ redēptionis. H. I. In pectore non in pedibus Summum Sacerdotem V. T. Urim & Thummim & laminam auream, cui insculptum Nomen DEI sanctissimum in fronte gestasse constat. Hunc imitari deberet Papa, & dignorem sanctissimi Meriti signo concedere locum nec ad pedes deprimere sanctam crucem. Nullatenus ergo hinc humilitas Papæ sed summus ejus fastus perspicitur, quando ceu Numen aliquod Divinum, aut rectius, idolum oculis, quæ olim idolatriæ partem absolvebant, suscipi vult, & instar Caligulae & Diocletiani purpura, gemmis & margaritis ornatos & superbientes pedes osculandos porrigit: Signumque sic extrema humilitatis Salvatoris Nostræ superba elatione ad pedes deprimit. Sed & vereor, ne gratis hæc dicantur de Papa, quod honorem hunc omnem & totum in Christum & ejus crucem redundare velit. Habemus enim reum consistentem in Alexander III. qui nollebat admittere exclamationem Imperatoris Fride-

ici; Non tibi, sed Petro, regeendo: & mihi & Petro. Frustra  
d' oique ad faciunt illa, quæ de oculis antiquis datis Imagini-  
bus Christi & Sanctorum & signo Crucis prolixè laudati Basiatores  
memorare solent. Ut enim imaginum, altarium & valorum sa-  
crorum una cum Reliquiarum cultu, adorationes & osculationes  
non habent testimonia nec exempla purioris ævi; Ita originem  
debent h'ominibus in superstitionem proruentibus, quiq; in ea eousque  
prolapsi, utquid inter Gentilium idololatriam, & Christianorum  
Iconolatriam fuerit discrimen, sapientiores haud p' tuerint co-  
gnoscere. Sed de hisce fuisus Chemnit. in Exam. Conc. Trid. P. IV. de Bo-  
mag. p. m. 676. b. & nostrat. spassim egere. Concludimus ergo cum vo-  
to Davidis: non venias mihi pes superbie & manus peccatoris non mo-  
veat me, ibi ecclerunt omnes qui operantur iniquitatem, Psl.  
XXXI. l. 12 & Augustini verbis super h. l. p. 273. 174. Non ve-  
niat mihi, inquis, pes superbie. Quare illum pedem dixit? (se-  
st. tan. qui Adamum seduxit) quia superbiendo Deum deferuerit  
& discessit; & pedem ipsius affectionem ipsius dixit. Et manus  
peccatoris non moveat me, i. e. opera peccatoris non moveant  
me, ut illa imitari velim. Ideo cum cautam ficeret Dominus  
Ecclesiam, ait: illatum observabit caput & tu ejus calcaneum.  
Serpens observat calcaneum, quando tibi venies pes superbie,  
quando laberis, Tu autem caput ejus observa; In iussu  
omnis peccati superbia.

H. I.

## TANTUM.



AB:153151



TA 30C

Hil. 73.





DISPUTATIO THEOLOGICA,  
DE  
**PODOLATRIA  
PAPEA,**  
SIVE  
**OSCUSLO PEDUM PONTI-  
FICIS ROMANI,**  
Quod ipse ex stricto jure Divino & Huma-  
no ab omnibus Christianis & summis  
Christiani orbis Monarchis  
exigit,  
*DIVINA ASSISTENTE GRATIA  
CONSENTIENTE VENERANDA FACULTATE  
THEOLOGICA,  
SUB PRÆSIDIO  
BERNHARDI von SANDEN,*  
ss. Theol Doct Prof Prim Concion Aul Prum,  
Consist. Sambiensis Consiliarii,  
*ad defendendum suscepta*  
à  
**JOHANNE HENRICO KREUSCHNER,**  
Ad Diem 1. Septembr. Anno MDCCX . H Lq; S.  
**REGIOMONTI, TYP.S REUSNER ANIS.**